



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXIII. Vtrùm concursus simultaneus vt est à voluntate Dei semper ac
necessariò habeat vtm prædeterminandi physicè voluntatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

ille actualis influxus gratiæ adiuvantis simultaneus est iam tempore, quam natura, cum cooperatione ipsius liberi arbitrij, ut proxime ostensum est; ergo talis influxus, ut est à Deo non est prædeterminativus voluntatis, sed tantum cooperativus, in quo cunque signo temporis, vel naturæ consideretur. Nam auxilium prædeterminans ex vi illius particulæ præ dicit aliquam antecessorem saltem causalitatis, & naturæ ad propriam determinationem voluntatis, & in hoc sensu tractatur quæstio. Et ideo etiam ab aliis auctoribus distinguitur concursus simultaneus à prævio, seu prædeterminante.

Secundò prædeterminans auxiliū dicitur ab his auctoribus influxus in causam, & non proxime in effectum; ille autem influxus Dei imbibitur in actione, qua voluntas facit suum consensum, non est influxus in causam, sed in actionem, seu effectum causæ, quia intus imbibitur in ipsa actione; ergo ille non prædeterminat voluntatem. Instat vero Cumel, quia illa actio est in voluntate: ergo non potest ille influxus esse in effectum, quin sit etiam in causa. At hoc modo committitur æquivocatio, & nimis materialiter consideratur voluntas; duplicem enim habet actionem, & potentiam receptive eiusdem actionis in posteriori naturæ postquam facta est, seu iam fit. Influxus ergo in causam est ille, qui præcedit in causa prius naturæ, quam operetur, & in illa sit ut illam compleat, vel applicet ad agendum; at ille concursus vel influxus non ita recipitur in voluntate, sed solum tanquam in potentia passiva, quæ recipit ipsam actionem, in qua immediate ille influxus imbibitur. Sicut influxus quem præbet ipsa voluntas, etiam recipitur in ipsa, non formaliter, ut in causa agente, sed ut in materia seu subiecto talis actionis.

Tertiò idem declaratur, quia voluntas prius naturæ considerata, quam Deus illum influxum præbeat, est omnino indifferens, & indeterminata, quia natura sua talis est, & nondum intelligitur aliquid recepisse quo determinetur, sed ab illo statu immediate reducitur ad actionem, qua elicit suum actum secundum quam actionem simul cum Deo efficit; ergo non operatur, & elicit actionem ut prædeterminata, & consequenter non prædeterminatur per concursum, vel influxum imbibitum in eadem actione. Probatur consequentia quia inter illud signum naturæ, in quo præexistit indifferens, & aliud, in quo actionem iam elicit, non datur medius status, seu medium instans naturæ, in quo intelligatur prædeterminata à Deo per illum influxum; quia ostensum est inter illum influxum Dei, & influxum voluntatis, non esse ordinem naturæ nec causalitatis; ergo in hoc modo agendi, & secluso prævio influxu immediato in potentia ipsa voluntatis non esset necessaria vera & propria prædeterminatio.

Adde semper illa verba, vera, & propria, quæ etiam dici potest unioca prædeterminatio. Quia æquivocando in verbo prædeterminandi potest quis illam Dei actionem vocare prædeterminationem, quia per illam actionem voluntas fit determinata; Idedq; cum eandem actionem Deus faciat, potest etiam dici per illam determinare voluntatem, quamvis, non sine illa libere, & omnino simul cooperante. Unde viterius quia eadem actio principali, ac excellentiori, magisque independenti modo est à Deo, quam à voluntate, ideo ad hoc significandū potest illa determinatio à Deo dici prædeterminatio. Sed hoc dico tantum esse verbo ludere significationem eius mutando, per quod omnino à propria quæstione divertitur. Nam in illo usu verbi particulæ præ non significat ordinem causalitatis, neque indicat aliquod auxiliū efficax quo dentur voluntati vires ad operandum, nec significat determinationem, quæ in voluntate fiat, ut operari valeat, sed significatur

solum excellentia, & maior perfectio influxus divini, seu illius actionis prout est à Deo, quam ut est ab hominis voluntate. In quo sensu nulla est quæstio de prædeterminatione, cum tota difficultas consistat in antecessione causalitatis, quæ dicitur auxiliū efficax facere, ut voluntas faciat efficienter, ac physice, & causaliter prædeterminando voluntatem ipsam.

Quod facile declaratur ostendendo rationem difficultatis longe disparem inter hoc auxiliū simultaneum, & prædeterminans causaliter, quam P. Cumel, & alij enixè, & frequenter postulant. Nā in hoc simultaneo influxu Dei cum voluntate ad eius primam determinationem influxus Dei non ponitur, nisi cum dependentia eiusdem numero actionis indivisibilis à libera cooperatione voluntatis, & ideo illa determinatio nunquam est suppositio antecedens causaliter liberum voluntatis vsum, sed illum potius intrinsecè includit, ideoque quantumvis ille influxus Dei propter suam excellentiam vocetur prædeterminatio, nunquā per particulā præ significatur suppositio antecedens necessitans voluntatem ad cooperandum, sed solum dicit ita esse simul, cum cooperatione voluntatis, ut cum illa dignior, & excellentior sit, de quo nemo dubitat. Altera verò prædeterminatio causalis inducet antecedentem necessitatem, quæ in dicto auxiliō simultaneo non invenitur, & ideo dicimus ex parte illius vel esse non posse, vel saltem non esse veram & propriam determinationem, de qua loquimur. Unde cum Ledesma, & alij supra citati dicunt Deum esse qui prædeterminat voluntatem, & nihilominus voluntatem in eodem signo naturæ efficere prædeterminationem suā, si loquantur de prædeterminatione æquivocè, & in hoc posteriori sensu vel fugiunt difficultatem, vel cerè solis verbis à nobis dissentiant, non in re. Ille tamen sensus non potest consistere cum multis aliis doctrinis, quas de hac prædeterminatione tradunt, nec cum distinctione auxiliij efficacis physice prædeterminantis ab auxiliō simultaneo. Si autem in sensu proprio, & vñtato inter nos de prædeterminatione loquuntur, repugnat professio prædeterminationem fieri actiue à voluntate libere cooperante, cum ad hoc illi detur à Deo, ut ipsa suam primam actionem, ac primum influxum inchoare valeat, quia (ut ipsi supponunt) præexistens determinata id facere non potest. Ab lata ergo vera prædeterminatione, quæ per actionem præviam & solius Dei, & distinctam in re ab actione voluntatis fiat, nulla relinquitur prædeterminatio vera ex vi solius simultanei influxus, quem Deus ut prima causa, & auctor gratiæ habet in talem actionem voluntatis.

CAPUT XXIII.

Virum concursus simultaneus ut est à voluntate Dei semper ac necessario habeat vim prædeterminandi physice voluntatem.

PRiusequam fundamēto contrariæ sententiæ respondemus, oportet de alio sensu quæstionis dicere, quia possunt illius sententiæ auctores in hoc posteriori sensu suam opinionem interpretari, & discursum à nobis factum enervare, adhibita quadam distinctione, quam de prædeterminatione in actu primo supra retulimus, & hic potest apparenter ac commodari. Nam concursus, seu auxiliū Dei dupliciter spectari potest, primo secundum se, & secundum suam præcisam entitatem, secundo ut procedat à voluntate efficaci Dei, qua vult hominē efficere talē consensum. Priori ergo modo verū est cōcur-

De alio sensu quæstionis.

Auxiliū Dei dupliciter spectari potest.

sum illum non habere vim prædeterminandi voluntatem, quia suo modo pendet à libera, & simultanea cooperatione eius. Et hoc probant omnia quæ in præcedenti discursu dicta sunt, & id fortasse non negabunt contraria sententia defensores, cum etiā de auxilio prævio interdum id doceant, ut vidim⁹. At verò spectatus ille concursus posteriori modo videtur habere vim determinandi, & prædeterminandi voluntatem humanā. Probatur, quia ut procedens ab illo decreto diuinæ voluntatis participat totam vim, & efficaciam illius, sed illud decretum Dei est efficacissimum ad determinandum libere voluntatem nostram; ergo & ille influxus Dei ut ab illo decreto manās habet eandē vim. Minor probatur, quia non potest nostra voluntas resistere in tali decreto voluntatis diuinæ, ut est de fide certum, unde posito illo decreto, quod De⁹ efficaciter vult, ut ego liberè velim, fieri non potest, quin velim, & liberè velim; ergo mea voluntas manet determinata ad talem actū ex vi diuini decreti. Unde cum illud decretum antecedit hominis consensum, vere dicitur per illud prædeterminari, & quia illius decreti efficacia non mandatur executioni, nisi medio auxilio simultaneo, ideo tale auxilium non ex se, sed ob respectū ad tale decretum dicitur prædeterminare voluntatem, & habere quandam veluti eminentem antecessorem ad illam prædeterminandam.

Nihilominus assero etiam hoc modo non esse necessariam prædeterminationem physicam voluntatis humanæ ad liberum consensum præstandū postquam sufficienter præuente, & excitata est, habetq; omnia auxilia gratiæ necessaria ex parte principij proximi, ad physicè efficiendum talem actum. Ita tenent Auctores omnes moderni in cap. 10. & 11. allegati, & in capite sequenti allegandi. Nunc enim non dico hunc modum prædeterminationis in prædicta responsione esse impossibile, vel simpliciter, vel cum vñ libertatis, id enim videbimus capite sequenti, sed solum dico non esse necessarium ad omnes & singulos actus, seu consensum supernaturales nostræ voluntatis. Ratio est, quia non est necessarium, ut concursus simultaneus quem Deus præbet ad singulos actus supernaturales, procedat ex illo decreto absoluto voluntatis Dei, quale in dicta responsione explicatur, sed tota ratio illius prædeterminationis dicitur esse tale decretum; ergo neq; talis prædeterminatio necessaria est ad singulos actus. Consequentia cum minori euidenter sunt ex dictis, maior autem probatur, quia illud decretum non est necessarium, ut voluntas humana constituatur in actum primo completo, & ita perfectio; & sufficiente ad præstandum consensum, vel eliciendum quemcunq; actum supernaturalem, ut solum indigeat concursu actuali, & simultaneo: tum quia sublato è medio auxilio prævio (ut supponimus) nihil aliud fingi potest necessarium, tum etiam, quia sæpe ostensum est illud esse de ratione auxilij sufficientis, quod proxime antecedit effectum liberæ actionis. Nam esse potest in his qui non consentiunt, & tamen illis non datur ex vi illius decreti, ut per se notum est: ergo ad habendum omne auxilium necessarium proxime ante concursum simultaneum, non est necessarium illud decretum. Neque etiam est necessarium ad ipsum concursum præstandum. Ergo nulla superest ratio, ob quam illud decretum simpliciter necessarium sit. Hanc consequentiam nunc ut claram suppono, quia ad producendos effectus per causas secundas, per se loquendo, & quantum est ex parte ipsorum effectuum, vel ex indigentia causarum secundarum solum illud decretum, & ea tantum efficacia ex parte diuinæ voluntatis necessaria est, quæ ad præstandum generalem concursum effectui accommodatum sufficiens fuerit, quidquid sit, an ex par-

te Dei intercedere possint alia decreta prædeterminata, de quibus sæpe dictum est, & infra cap. 11. dicaturi sumus. Nunc ergo solum superest probanda minor propositio, ad quam tota huius puncti difficultas reuocatur.

Quod ergo ad concursum simultaneum præstandum, non sit absolutum Dei decretum necessarium. Probatur primò ex obiecto illius decreti, nam per illud proximè solum vult Deus concurrere cum voluntate, sed in ipso nomine, & ratione concursus includitur, ut non solum Deus faciat talem effectum, sed cum alio simul efficiente; ergo ex vitalis obiecti non est absolutum necessarium, & efficax decretum de tali effectu futuro, sed solum de concursu cum alio, in quo includitur conditio, si alius co-effecerit. Dices imò eo ipso, quod Deus vult concurrere, vult etiam hominem cooperari, nam concursus est plurium cursus, & ideo si Deus absolute vult concursum cum voluntate, vult etiam ipsam voluntatem operari, & ita vult etiam absolute consensum eius. Sicut si Deus vult absolute vñm correlatiuorum esse in rerum natura, eo ipso vult etiam aliud: ut si vult Abraham habere filium, vult etiam illum esse patrem, concursus autem includit alium concurrentem quasi correlatiuum; ergo absoluta voluntas vñm includit similem voluntatem alterius. Respondeo duobus modis posse aliquè concurrere cum alio, vñ modo absolute volendo vñm; concursum; alio modo volendo tantum suum concursum ex suppositione alterius, vel sub conditione, si alter velle concurrere, vñm; enim modò experimento humano cognoscimus, & certe posterior modus est frequentior inter homines. Seruata ergo proportionem dicimus, esto posset Deus priori modo velle actionem voluntatis humanæ, & ita simul absolute velle & suam, & voluntatis humanæ efficientiam actuale (de quo dicemus cap. sequenti) nihilominus illum modum volendi non esse necessarium ad concursum Dei, sed satis superq; esse secundum, quia Deus potest velle præstare suum influxum, non simpliciter, & absolute, sed quantum est ex se, & subintellecta conditione, si per humanam voluntatem non steterit. Quid enim repugnat Deum ita velle? Si autem non repugnet, ponamus id voluisse, certe illud sufficeret ad concurrendum actum, si per hominem non steterit, quia Dei voluntas semper permanet, & de se est efficax, ideoque licet conditionata sit, dum completur, conditio transit in absolutam, & habet effectum; illa ergo sufficit ad concursum ad extra præstandum; ergo aliud decretum magis absolutum non est simpliciter necessarium.

Secundò probatur eadem propositio inductione, seu argumento sumpto ex concursu ordinis naturalis. Nam ut Deus hunc concursum præbeat humanæ voluntati ad actus naturalis ordinis non est necesse ut talis concursus procedat ex absoluto, & efficaci decreto, quo Deus vult hominem hoc, vel illud velle; ergo neque ad præbandum simultaneum in ordine gratiæ est necessarium illud decretum. Consequentia probata est in lib. 3. quia licet concursus generalis gratiæ sit nobilioris generis in ordine entis, tamen in modo quo datur, vel effectatur causæ secundæ, eandem proportionem seruat, quia nulla ratio diuersitatis intercedit. Quia ante hunc concursum gratiæ supponitur data voluntati omnis gratia necessaria, in actu primo complete ad volendum, & ita ei offertur concursus, vñ manu eius relinquatur ex parte sua concurrere, vel non concurrere, & sic etiam impedire, ne Dei concursus ad extra exeat; ergo seruat proportionem quoad modum concursus ordinis naturalis.

Iam ergo probatur antecessens inductione in actibus peccatorum: Deus enim non præbet suum

concursum ad illos, præuolendo illos absoluto decreto, quo uelit hominē habere talē actum, præferim prius ratione, quam præuiderit voluntatē: hēminis fuisse ad talem actum determinandam; id enim, & diuinæ sapiētiae, ac bonitati repugnat. S. Patribus dicentibus, Deū non prædestinare actus malos, & videre licet maximē in Prospero ad Gallos c. 1. & ad Vincentium c. 6. 10. & 11. Quid est enim prædestinare generaliter sumptum, prout ad singulos actus applicatur, nisi ex se absoluto, & efficaci decreto destinare, aut uelle ut aliquid fiat. Non habet ergo Deus hoc decretū circa actus malos, etiam ut sunt effectus quidā, & reales uolitiones; quia ut ibi dixit Prosper, *Deus non inserit hominī, aut demoni huiusmodi affectum, aut uoluntatem.* Propter quod dixit etiam August. in Enchirid. c. 31. *Scriptum non esse, non est uoluntas nisi à Deo, quia uerum non est, licet omnis potestas sit à Deo.* Et propterea etiam sub distinctione in eod. lib. cap. 35. dixit. *Nihil fieri nisi quod Deus uelit, aut uolendo, aut finendo, ut fiat, & alia multa loco allegato adduximus.* Et in Prolegomeno 2. & in sequentibus agendo de prædefinitionibus, aliquid addemus. Præbet ergo Deus concursum ad reales actus peccatorum, sine illo præuio decreto suæ uoluntatis, quo ex se absolute uelit talem hominem consensum præstare, sed solum per uoluntatem concurrendi, homine ipsi cooperante, in quo tacia includitur conditio; ergo signum est, per se, & ex generali ratione concursus nihil aliud esse necessarium, ac subinde neq; in actibus bonis uel supernaturalibus illam necessitatem inueniri.

Et declarari potest, quia ut Deus faciat non oportet ut uelit uel uoluerit, quod alius facturus, sed satis est ut uelit quod ipse facturus est. Nam ut Augustinus etiam dixit. Ea tantum prædestinat, quæ est ipse facturus lib. de prædestinat. sanctorum cap. 10. Ergo ut concurrat, satis est ut uelit suum influxum, etiam si non uelit influxum uoluntas humana; sed illam dari sinat, ut citato loco dicit idem Augustinus, uel permittat, ut in aliis locis habet. Neque obstat quod in re hi duo influxus non distinguantur, quia nihilominus potest Deus mente discernere illam actionem, ut est à se, & ut est à uoluntate creata, & ita illam uelle quantum est ex se sub prioris respectu, non tamen sub posteriori, sed tantum finendo, aut permittendo, uel etiam optando, iuxta capacitatem materiæ, ut à uoluntate humana fiat.

Tertio idem probamus præcipue ab inconuenienti tractato cap. 11. Quia si ad consentiendum gratiæ vocanti necessarius est concursus Dei ad intra, sequitur eos qui carent tali concursu, simpliciter, & absolute non posse consentire gratiæ vocanti; hoc autem omnino falsum est, ut sæpè diximus & probauimus, & ab aduersariis, sub his uerbis non admittitur; ergo etiam est falsum tale decretum esse necessarium. Probatur sequela, quia supposita illa necessitate, ille, qui caret concursu in se recepto, nunquam habet illum in potestate sua; ergo nec consensum habet in potestate sua, ergo non fuit potens ad consentiendum. Qui enim simpliciter potest consentire, profecto habet consensum in potestate sua, quia non potest, nisi ratione huius potestatis, ut autem sæpè ex Aug. diximus id habemus in potestate nostra, quod si uolumus, facimus, non potest autem hoc modo habere homo in potestate sua consensum nisi etiam habeat concursum Dei oblatum, ac proinde positum in sua potestate. Quia concursus ordinis gratiæ est simpliciter necessarius ad consensum supernaturalem; ergo qui non habet concursum in re ipsa si neque in sua potestate illum habet, ita infallibiliter detur, si uelit, profecto neque consensum habet in sua potestate. Quod autem iuxta illam sententiam homo habeat concursum in

sua potestate probatur, quia ipsi concursus nec datur nec dari potest sine illo decreto antecedente uoluntatis Dei, ut in illa sententia supponitur, sed Deus non habuit tale decretum æternum circa hominem qui in tempore illum concursum non recipit; quia decretum illud cum sit efficax, & absolutum non caret effectu, neque homo potest aliquid facere, ut Deus habeat tale decretum; ergo nullo modo habet in sua potestate talem concursum.

Respondent decretum Dei non esse necessarium ad posse, sed ad agere, & ideo licet Deus non habuerit decretum, hominem posse agere, licet acturus non sit. Sed contra, quia ut supra de concursu dixi, licet in se tantum sit necessarius ad actionem, tamen habere illud oblatum, est necessarium ad potestatem agendi, non offertur autem per decretum Dei; ergo quod supponatur decretum in suo ordine sufficiens, est necessarium solum ad agere, sed etiam ad posse. Et declaratur facili, & humano modo ex illo axioma. *Id possumus quod per amicos possumus.* Quo Diuus Thomas 1. 2. quæst. 129. art. 4. uictr ad conciliandam libertatem arbitrij cum necessitate gratiæ. Illud enim axioma uerum habet, quando, uel amicus paratus est ad auxiliandum, uel saltem auxilium eius ab altero potest impetrari, & obtineri. Si autem amicus omnino ex suo arbitrio decreuisset non adiuuare alium, neq; alter posset illum ab illa uoluntate mutare, profecto non haberet in tali casu locum axioma illud. *Id possumus quod per amicos possumus,* & simpliciter esset homini impossibile, quod sine adiutorio talis amici facere non posset. In præsentī ergo applicatur illud axioma, quia licet causa secunda non possit suum effectum facere, sine concursu, seu adiutorio primæ, nihilominus simpliciter potest facere effectum suæ uirtuti proportionatum, quia causa prima de se parata est ad concurrendum, & consequenter uoluntate sua offert illi concursum, quia Deus non aliter est paratus, nec inuiget alia præparatione, nisi uoluntate sua. Vnde si absolute, & efficaciter, ac ex se Deus ab æterno decreuisset non inuare causas secundas in agendo, simpliciter non possent suos effectus producere, quia nec per se, nec per amicum, ut sic dicam, possent operari.

Et ne quis tergieretur dicendo, quod semper intrinsecam suam potestatem retinerent, oportet aduertere sermonē esse de potentia simpliciter, & proxima, quæ includit omnia requisita in actu primo, seu in præparatione. Et ut nullus sit dubitandi locus, maximē id est uerum. Loquendo de potestate moralī, quæ necessaria est, ut possit imputari non agēti carentia actionis, si illam omittat. Ita igitur uoluntas per gratiam excitata, & in actu primo sufficienter constituta, licet indigeat simultaneo influxu, & concursu gratiæ, nihilominus est simpliciter potens ad consentiendum, quia quoad influxum habitus, uel alterius principij proximi sibi inherētis habet illam ad nutum suum, quia habitu etiam infuso, uel simili principio utitur, cum uult, quoad influxum uero Dei oportet, ut habeat illum ita paratum, ut infallibiliter detur, quantum est ex parte Dei; ergo è contrario si Deus non est ita paratus, nec nostra uoluntas est moraliter potens, nec illi potest imputari, quod careat concursu, & consequenter neque quod careat operatione; ergo simpliciter, & humano modo loquendo non potest, quia sola potentia physica, quæ in illa manet, parum profecto refert ad liberam potestatem, cui carentia actionis imputetur. Confirmatur quia impossibile est, me habere in potestate mea effectum, nisi habeam actu, uel in mea potestate quidquid necessarium est, ut effectus fiat; quia si non habeam in mea potestate omnia necessaria, poterit effectus non sequi ex defectu prioris auxilij, uel concursus necessarij; magis quā

8. Aduertendum.

ex defectu meo. Nam si decretum Dei est necessarium, & non ponitur, nec ego possum facere ut ponatur, cur potius meo defectui imputatur quod non sequatur talis effectus, quam defectui divini decreti? Planè non video.

Quod autem Deus non sit paratus ad concurrendum, si necessarium est decretum illud, probatur multipliciter. Primo quia Deus non est paratus, nisi per aliquam determinationem liberam voluntatis suae sufficientem ad effectum externum, quantum est ex parte Dei, tunc autem Deus non habuit talem determinationem, ut supponitur, nec denuo potest illam inchoare, ut est certum; ergo. Secundo eo ipso quod Deus non habuit illud decretum, habuit positivum decretum non concurrendi tunc ad tale consensum, vel concurrendi ad aliquem contrarium, quia Dei voluntas in suis decretis liberis non manet suspensa, sed inter opposita aliquid statuit; ergo repugnat Deum paratum esse ad concurrendum, facta hypothese, quod non decrevit concurrere. Quis enim dicat Deum esse paratum ad dandum, vel faciendum quod ex se absoluto decreto statuit non dare, vel facere? Tertio carentia talis concursus non potest moraliter imputari; ergo signum est, non esse in potestate, nec Deum paratum esse ad dandum illud. Antecedens patet, constituamus enim hominem sufficienter vocatum prius natura, quam voluntas eius ad consensum, vel dissensum determinetur, & quod Deus non decreverit dare talem concursum sed alium, quid quæso facit homo, ut talem concursum recipiat? nihil certe responderi aut cogitari potest, quod ad rem pertineat.

9. Eadem est ratio de concursu simultaneo, ac de prævia prædeterminatione inhaerente homini.

Ethic applicari possunt omnia quæ in simili discursu diximus, de prævia determinatione inhaerente homini. Nam reuera eadem est ratio de extrinseco decreto Dei, seu de concursu simultaneo, si ab illo decreto necessario pendet, quia quod tale decretum nobis non inhaereat, sicut prædeterminatione in actu primo, parum refert, si necessitas est eadem, & antecedens omnino ad nostram libertatem ita ut ab illa non pendeat poni, vel non poni tale decretum; ut reuera pendere non potest, si illud est antecedenter necessarium, & pro solo Dei arbitrio datur, vel negatur. Quia quando Deus habet tale decretum non est ex præsentia alicuius liberi vsus arbitrii, sed ante omnem præscientiam, ut illi auctores consequenter dicunt: nec est propter aliquam dispositionem arbitrii positivam, vel negativam quia utraque supponit decretum concurrendi, vel non concurrendi Dei, ut facile patet ex supra dictis. Ethoc optime declarat, & confirmat ratio per decretum absolutum determinatum ad unum actum, nunquam voluntas est indifferens proximè ad plures actus; & proinde se habet ad alios omnes extra illum ad quem decrevit Deus concurrere, ac se haberet ad omnes, si Deus decrevisset ad nullum concurrere, tum autem nullum posset operari, nec liberè aliquem omitteret, sed omnibus ex necessitate careret; ergo & nunc necessitate caret illis ad quos Deus suo solo arbitrio decrevit non concurrere. Ergo in particulari loquendo de actu gratiæ, qui caret concursu ad illum, & habet determinatum concursum ad aliquem alium solum, non liberè, nec cum potestate morali actus gratiæ omittit. Ergo cum necessitate talis decreti non potest saluari potestas moralis, & libertas consentiendi in his, qui carent necessario concursu.

10.

Nec est simile de auxilio simultaneo, ut solet nobis obijci, si ponamus illud non pendere necessario, ac essentialiter ex illo decreto absoluto, sed ex alio inuolvente conditionem, quale nos explicuimus. Nam si concursus dari potest ex vi decreti conditionati, optime intelligimus, quamvis homo suf-

ficienter vocatus non recipiat actu simultaneum concursum, nihilominus Deum de se parati esse ad illum dandum, & habere circa tale hominem simile decretum, quia stante tali decreto, stat non habere in re effectum, quia non est omnino absolutum, & Deus ipse ita temperavit illud, ut cooperaretur alio agere ad extra, non vero cooperante non ageret. Est enim Deus maxime Dominus suæ potestatis quoad vsum, & suæ actionis ad extra, & ideo potest vno vel alio modo illam velle iuxta consilium voluntatis suæ. Et inde facile etiam intelligitur habere hominem sic vocatum in sua proxima potestate consensum, quia in genere causæ proximæ per vires gratiæ in se receptas, cum potentia obedientiali suæ voluntatis, potest illum consensum elicere, & per amicum, id est, per Deum, habet paratum concursum gratiæ, & ita habet illum in potestate sua, ut iam posita suppositione ex parte Dei ex suo arbitrio, & cōcomitante influxu penderet habere, vel non habere ad extra talem concursum. Est ergo longe diversa ratio de auxilio etiam simultaneo pendente, vel non pendente à tali decreto, & ideo dicimus tale decretum non esse necessarium.

Vnde consequenter sequitur, nec prædeterminationem physicam per immediatum influxum Dei in actum consensum posse esse necessariam. Ac proinde cessat distinctio supra nobis obiecta. Nam siue illa sit possibilis, siue non (de quo statim) negamus esse necessarium ad liberum consensum supernaturali auxilio simultaneo habens respectum ad tale decretum, quia ipsum decretum necessarium non est, & sine illo potest dari simultaneus consensus, seu auxilium in actione ipsa voluntatis inhibitu. Sicut autem dari potest ita verisimilius est, de facto dari, vel semper, vel frequentius, quia ille est modus magis accommodatus libero arbitrio, & nulla est ratio fingendi semper alium modum determinationis, si aliunde ex re ipsa, & ex dependentia, vel subordinatione causæ secundæ ad primam, vel ex peculiari conditione actuum gratiæ id non ostenditur. Occurrebat autem hic difficultas, quia sequitur, aliquid fieri interrum natura sine voluntate Dei, saltem efficaci, & absoluta ipsius effectus, utique actus liberi. Facile vero respondetur negando sequelam, quia quod sit volente Deo ad id concurrere, non fit sine voluntate Dei, siue det concursum per antecedens decretum absolutum, siue per concomitans ex parte obiecti, ut in lib. 3. explicavi. Nam D. August. locis citatis prius absolute dixit, nihil fieri, nisi quod vult Deus, & postea addit, vel volendo, vel sinendo ut fiat.

Vnde ad secundam partem duplex distinctio est adhibenda. Vna est de malis actibus, vel bonis. Nam de malis concedimus, & omnino affirmamus fieri sine beneplacito Dei, & ipso non volente absolute & efficaciter, ut actus fiat, siue prius ratione, quam illum futurum esse præsciat, siue etiam postquam illum futurum esse prænovit, quia sibi nullo modo placeat, nec illum simpliciter vult, sed vellet potius non fieri, licet noluerit illum impedire, nec concursum ad illum negare, & postea illud ad penam, vel ad aliquod bonum ordinet. In bonis autem actibus, & præsertim supernaturalibus, triplex voluntas Dei distinguenda est, utique, intentionis, executionis, & complacentiæ; prima antecedit effectum actus, & non est proximum principium physicum eius: secunda comitatur actum modo supra explicato in lib. 3. Tertia subsequitur actum iam prævisum absolute scientia visionis, de qua dictum est. Vidit Deus cuncta que fuerant, & erant valde bona. Dico ergo factum bonum, & gratia fieri posse sine prævia Dei voluntate absoluta exequente, quia sufficit voluntas concomitans virtute conditionem includens. Nunquam vero fit sine voluntate beneplaciti Dei consequente, & probabile est

maximè quoad actus gratiæ non fieri sine decreto absoluto diuinæ voluntatis, per modum intentionis antecedentis, quæ ad ordinem prædestinationis, non executionis pertinet. Sed de hoc decreto, quomodo à voluntate exequentis differat, & cur minus repugnet arbitrij humani libertati, sæpe iam dictum est, & infra magis declarabitur.

C A P V T XXIV.

Virum auxilium efficax prædeterminans physicè voluntatem influendo immediate in actum eius liberum possibile sit.

IN superiori capite vidimus, necessitatem huius auxiliij repugnare quoad specificationem circa supernaturales actus, id est, non relinquere potestatem moralem faciendi illos in his, quibus tale auxilium denegatur, nunc videndum est, an tale auxilium datum repugnet libertati quoad exercitium, & ideo possibile non sit saltem salva actus libertate. Aliqui enim moderni Theologi qui nobiscum sentiunt in his quæ hætenus contra physicam prædeterminationem auxiliij efficacis diximus, in hoc puncto docent, hoc genus physicæ prædeterminationis non repugnare cum libertate actus, ideoque non solum esse possibile, sed sæpe etiam dari præsertim ad quasdam miraculosas, & efficacissimas conversiones vt Pauli, Matthæi, Magdalene & similibus, vel ad actus, qui ex quadam singulari gratia, & privilegio conceduntur, vt fuerunt fortasse omnes actus Beatissimæ Virginis in via, præsertim vero ille qui Angelicæ annuntiationi assensum præbuit. Et hanc existimo fuisse opinionem F. Ioannis Vincent. quantum ex his, quæ & Ledefmare ferret, & ab aliis audiui, coniectare possum. Nam vt supra dixi, eius scripta videre non potui. Eandem sententiam P. Lorca ex professo docuit nouus quidam Scriptor non indoctus, & constanter affirmat esse doctrinam D. Thomæ & Scoti, imò & S. Augustini. Sed de auctoribus infra dicam, nunc de vocatione tantum, vel phyfica, vel Theologica ex principijs fidei agendum est.

Fundamentum huius sententiæ videtur esse, quia licet vt homo supernaturalem consensum præbeat, necessarium non sit, vt Deus ex voluntate efficiat, & omnino absoluta illum moueat auxilio illo simultaneo, non tamen videtur dicendum Deum id facere non posse. Præmo quia multum derogat omnipotentia Dei, nam vt D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. & 1. 2. q. 10. art. 4. & sæpe alias docet, diuinæ potentia non tantum subsequitur actus voluntatis, sed etiam modus eius, vtique quod liberè fiat, ergo potest Deus de absoluta sua potentia efficaciter velle, & exequendo facere, vt voluntas humana consentiat. Vnde Augustinus in Enchiridio. cap. 95. Tunc inquit in clarissima luce sapientia videbitur, quod nunc pium fides habet, antequam manifesta cognitione videatur quam certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in psalmo canitur. Deus autem noster in celo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, quod vtique non est verum si aliqua voluit & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam nesciret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non est autem minus indignum de Deo sentire non posse velle efficaciter aliquid fieri, à voluntate hominis, ne forte hominis voluntas impediatur, ne Dei voluntas impleatur. Vnde cap. 103. ait. Rogandus est Deus vt velit, nam si velit, necesse est fieri quod voluerit, vtique & modo etiam quo voluerit.

ergo potest Deus habere illud decretum, & per illud determinare efficaciter voluntatem hominis, vt velit, & libere velit, sicut eam Deus velle voluit, illa autem prædeterminatio non fit nisi per auxilium simultaneum, vt manans ab illo decreto, quia supponimus Deum aliud præuium non influere,

Secundò argumentor quia Deus potest prædefinire absoluto decreto actum liberum hominis ante absolutam præscientiam eius, vt nunc supponimus; ergo etiam potest illam suam voluntatem exequi per similem voluntatem efficacem exequentem. Probatur consequentia, quia alias executio non esset æquè efficax, ac infallibilis, ac ipsa intentio. Dices: ex parte executionis sufficere voluntatem concomitantem cum præscientia conditionata, quod ex parte voluntatis humanæ non deest coefficientia, & influxus, si tali, vel tali modo excitetur & moueatur. Sed contra quia hic modus licet forte aliquando sufficiat, non potest in vniversum satisfacere, quia fieri potest vt Deus per conditionatam scientiam præuideat voluntatem hominis quocunque modo hic, & nunc excitetur, tam ex parte obiecti, quam per motiones præuenientes in ipsamet voluntate de se nunquam esse consensuram, nisi ex parte ipsiusmet consensus determinetur. Cum enim contingens sit an voluntas in tali, vel tali occasione ex se consensura sit sine alia prædeterminatione, contingere etiam poterit, vt in nulla occasione sit consensura, & quod id præuideat Deus. Ergo tum vel admittenda est possibilis prædeterminatio phyfica, per absolutum decretum executiuum Dei, vel concedendum est in aliquo casu Deum non posse absolute decernere, vt fiat actio libera, quod videtur absurdum, & alienum ab illa omnipotentissima potestate, quam, teste Augustino, Deus habet ad corda hominum inclinanda.

Tertiò quod caput est, in hoc apparet repugnantia, quia Deus per illam voluntatem absolutam non inducit aliquem actum primum prædeterminantem voluntatem, sed præbet tantum actualem motionem, quæ nihil aliud est, quàm ipsamet actio, & operatio voluntatis; hæc autem motio non fit in voluntate sine actuali cooperatione eiusdem voluntatis; ergo necessitas, quæ per talem motionem inducitur, non est necessitas antecedens, sed comitans, seu subsequens ex ipsamet operatione libera voluntatis; ergo non repugnat libertati iuxta principia supra posita. Alias nullius esset actus liber, quia quoties voluntas operatur, hæc determinatio, & necessitas, operatione ipsa inducitur, quia vero ipsamet voluntas illi cooperatur, ideo optimè stat cū illa necessitate libertas; ergo idem est in præsentia determinatione, quam Deus facere potest per actum secundum, quia non faciet illum sine cooperatione libera voluntatis; ergo ex parte libertatis non est repugnantia; ergo cum aliunde esse non possit, non est diuinæ omnipotentia denegandum. Et confirmatur tandem, quia Deus est primus auctor naturæ, & inclinationum quæ naturam sequuntur, ergo sicut præbet inclinationes innatas, ita potest præbere elicatas; ergo voluntas humana subest diuinæ, etiam quoad inclinationes elicatas per actus liberos. Et hæc ratio dicitur sumpta ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 6. in corp. & ad 3. & q. 10. art. 4. & 1. p. q. 105. art. 4. & q. 111. art. 3. & 4.

Nihilominus est secunda sententia huic extremè contraria simpliciter negans, esse possibilem talem modum prædeterminationis, etiam liberum vsu voluntatis humanæ impediendo. Vt enim hæc opinio intelligatur, aduerto, duplicè hic esse questionem, vna est simplicior, & abstractior, an Deus solum concurrente cū voluntate auxilio simultaneo

& nul-